

ab adultera separare; non tamen poterit (ut quidam perverſe ſentientes hac noſtra ætate docuerunt) alteram ducere. Quia matrimonium inter illos contractum eſt vinculum indiſſolubile, quod non, niſi per mortem, ſolvi poteſt. Quo ſit, ut quædam uterque vivit, ſit alter alterius conjux, nec poſſit alterum ſibi conjugere: quia Salvator ait: (*Matth. 5.*) *Qui dimiſſam duxerit adulterat.* At nullo modo diceretur vere adulteraſi: qui dimiſſam duxiſſet, niſi illa eſſet adhuc uxor prioris mariti à quo dimiſſa fuit. Et hanc eſſe veram Chriſti mentem aperte declarat beatus Paulus, in priore ad Corinthios epiſtola, cap. 7. ſic inquiens: *His autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus: uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere inuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Nec opus eſt de hac re multum diſputare, aut multa pro illa afferre teſtimonia; cum aperta ſit Ecclēſiæ definitio, quæ omnem de hac re diſputationem tollit. Nam Concilium Florentinum, ſub Eugenio quarto celebratum, in ea fidei definitione quam dedit Armenis, de ſacramento matrimonii diſſerens, hæc ait: *Quamvis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, quum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.* Hæc Concilium Florentinum. Quibus verbis, cum ſint tam manifeſta, non video quid poſſit reſponderi ab illis qui contrariam tenent ſententiam. Separantur ergo conjuges ab eodem thoro propter alterius adulterium, ſed non diſſolvitur vinculum matrimonii. Sed quia fornicatio, aut adulterium dicitur eſſe cauſa propter quam uxor poteſt à viro dimitti, oportet talem eſſe fornicationem quæ culpa & non parva, ſed mortalis merito cenſeri debeat. Nam ſi abſque culpa ſua mortali fornicata fuiſſet, injuſtum eſſet illam tam gravi pœna punire. Sæpe enim contingere poteſt, ut mulier nupta ſine culpa ſua, præſertim mortali, ab altero viro cognoscatur, & ſic adulterium quantum ad ſubſtantiam actus committat. Quoties igitur id contigerit, non poterit maritus eam à thoro repellere; præſertim ſi illa ſe à culpa immunem oſtenderit. Primo quidem evenire poteſt, ut mulier propter longam viſi abſentiam, aut teſtimonio virorum fidelium, aut violentis aliis præſumptionibus inducitur, credat virum ſuum eſſe mortuum, & ſic credens, nubat alteri & cognoscatur ab illo. Quo evenit mulier fornicariſſe & adulteraſſe dicitur, tale tamen adulterium non imputabitur illi ad culpam, quia excuſabitur per ignorantiam qua credidit virum ſuum eſſe mortuum; & ideo vir ſuus non poterit ob hanc cauſam illam dimittere, ut dicitur in cap. Cum per bellicam 24. q. 2. Deinde, ſi uxor fuerit ab alieno viro vi oppreſſa, ut Lucretiam Romanam Collatini uxorem à Tarquinii Regis filio oppreſſam fuiſſe fertur, nullus merito poterit illi adulterii notam inurere, nec per conſequens vir ejus poterit hac de cauſa illam repellere, ut aperte docetur in capitulo, Propoſito 32. q. 5. Hoc autem non de levi violentia intelligi oportet, ſed de vera & abſoluta, cui nullus à principio acceſſit: verus conſenſus, ſed magnus intervenit metus. Nam ſi abſque vero metu, ſed ſolum propter præceptum parentum, aut vehementem conſanguineorum adhortationem, aut propter aliam conſimilem cauſam fornicetur cum aliquo, etiam contrahendo cum illo, ſicut non excuſabitur à culpa adulterii, ita nec à pœna expulſionis, in qua propter adulterium incidit, ut habetur in cap. Omnes canones 32. quæſt. 7. Hinc eſt quod uxor Sanſonis (*Judic. 15.*) non eſt excuſata ab adulterio quod commiſit alteri nubens, Sanſone vivente, quamvis ex præcepto patris id fecerit:

nec etiam excuſatur ab adulterio Michol uxor David Regis, quæ ipſo vivente nupſit alteri, quamvis ex præcepto Saulis patris ſui id fecerit. (*1. Reg. 25.*) Præterea, ſi quis extraneus fraudulenter, & per inſidias ſe immiſerit in lectum uxoris, & ſimulans ſe eſſe virum illius, cum illa coierit, ſicut Lya ſimulans ſe Rachelem, coivit cum Jacob, (*Gen. 29.*) nullus merito poterit talem uxorem de adulterio reprehendere, & inde ſequitur, ut nec viſus poſſit illam ob id à ſuo thoro repellere, ut aperte dicitur in cap. In lectum mariti 34. q. 3. In omnibus hujusmodi caſibus in quibus nulla intervenit uxoris culpa, & ſi forte accidat fornicatio, non poterit maritus uxorem à ſe dimittere, quia (ut dicitur in l. Uxor, C. de Divortiis) divortium dolum requirit. Poteſt etiam contingere, ut mulierem in culpa adulterii deprehendam, vir ejus non poſſit illam juſte à ſuo conſortio repellere, ut puta ſi ille eodem aut pari crimine pollutus fuerit. Quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, ut dicitur in capitulo Significati, de Divortiis, & 32. q. 5. per totum, & l. Viro, atque uxore, ff. Solutio matrimonii. Et hoc verum eſt etiam ſi viri fornicatio ſit occulta, uxoris autem manifeſta, quia tunc peccat mortaliter vir ſi uxorem dimitteret, aut accuſaret. Nam cum hic diſputemus de judicio ſecreto conſcientiæ & non forenſi, in quo ſola veritatis cognitio, & non probatio per teſtes requiritur, parum intereſt, an fornicatio viri ſit ſecreta, an publica, quando ſibi ipſi conſtat ſe fornicatum fuiſſe. Præterea uxori illi adulteræ, cujus maritus occultum commiſit adulterium, non deficit jus excipiendi, ut crimen ſuum alterius crimine tollat, ſed ſola deficit probatio, propter quem probationis defectum, & ſi in foro contentioſo poſſit ab actione exceptionis repelli, non tamen in foro conſcientiæ, ubi nulli (ut diximus) teſtes requiruntur, ſed ſola veritatis cognitio. Et probari poteſt per hoc quod 32. q. 7. per totum, abſolute docetur neutrum poſſe alterum dimittere, ſi ipſe fornicatus eſt, nec diſtinguitur ibidem an fornicatio alterius ſit occulta, vel publica. Hic tamen admonere oportet, quod ſicut dicitur in l. Illud, ff. de Periculo, & commodo rei venditi, ultima mora nocet, & illa eſt que trahit ad ſe periculum. Et inde ſequitur, ut utroque conjugum fornicante, ille qui correctus fornicationem deſerit, habet jus dimittendi alterum incorrigibilem, & in fornicatione perſiſtentem; ſed non è contrario, quia jam non ſunt paria delicta quando unum eſt emendatum, & alterum perſeverat. Eſt adhuc aliud admonendum, quod ad juſtam delicti compensationem in hoc caſu faciendam, non eſt opus ut eadem fornicationis ſpecie ſit uterque infectus, ſed ſatis eſt ut ſit in eodem fornicationis genere, quamvis in diverſa ſpecie, dummodo is qui ſe per exceptionem tueri vult, ſit leviori culpa, & non graviori pollutus. Is enim qui ſolum adulterii crimen commiſit, poteſt ſe per exceptionem tueri contra alterum qui crimen fornicationis contra naturam pollutus eſt; non tamen è contrario, quia ſimplex adulterium & peccatum contra naturam ſunt crimina imparia. Ille etiam qui in corporalem quamlibet incidit fornicationem poteſt repellere eum qui incidit in ſpiritualem. Adulter enim & quisvis alius fornicator corporalis, etiam ſi ſit Sodomorum crimine pollutus, poteſt à ſe repellere conjugem ſuum, ſi ſit hæreticus, aut idololatra, ſed non è contrario: quia fornicatio ſpiritualis, qualis eſt hæreſis, aut idololatria, multo gravior eſt fornicatione corporali. Et quia lenocinium non minus eſt crimen, immo multo majus quam adulterium, ut dicitur in l. Palam, ff. de Ritu nuptiarum, hinc eſt quod maritus qui lenocinium

nium exercens, uxorem ſuam proſtituit, non poteſt illam propter hoc à ſe dimittere, ut dicitur in cap. Diſcretionem, de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ. Injuſtum enim eſſet, ut qui in eodem crimine particeps fuit, illuſus manens alium damnaret. Facientes enim & conſentientes eadem pœna conſtringere debet, Paulo teſtante, qui ſic ait: (*Rom. 1.*) *Non ſolum qui talia agunt, ſed qui agentibus conſentiant, digni ſunt morte.* Tali enim lenoni uxorem ſuam proſtituendi, qui illam propter adulterium accuſare, aut dimittere nititur, dici merito poterit id, quod idem Paulus ſimilibus, ait: *Inexcusable eſt homo omnis qui alium judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis que judicas.* Voco autem, quatenus præſentem reſpicit materiam, leonem, aut proſtitutorem uxoris ſuæ, non ſolum eum qui illi imperat adulterium, ſed omnem illum qui ſcivit, & noluit prohibere quum potuit. Idem enim eſt ſcientem non prohibere delictum inferioris quum poſſit, & imperare. At non ita eſſet cenſendum ſi aliud agens & indirecte (ut ajunt) illi occaſionem adulterii dediſſet, ut puta eam relinquendo, & neceſſaria denegando: quia (ut dicitur in dicta l. Palam) non eſt ignoſcendum ei qui prætextu paupertatis turpiſſimam vitam agit, niſi forte hac intentione à ſe illam maritus repulſiſſet, aut neceſſaria denegaſſet, ut illa tandem neceſſitate urgente adulterium commiſiſſet, tunc enim (ut dicitur in capitulo, Ex litteris, de Divortiis) ille contra uxorem agere non poſſet.

Ut igitur ea que tam late de lege poenali Evangelica diximus, ad compendium redigamus, dicimus omnem illum conjugem qui innocens eſt, poſſe juſte dimittere conjugem nocentem. Pari etiam ratione dicimus illum etiam qui minori fornicationis crimine eſt infectus, poſſe à ſe repellere alium qui eſt graviori fornicationis crimine pollutus, ſive illa ſit corporalis, ſive ſpiritualis fornicatio. Nec ſolum poteſt, ſed etiam repellere, teneat ſaltem à thoro, niſi forte ſaluti anime ſuæ, aut uxoris ſuæ proſpicere intendat, aut uxorem ſuam correctam videns, miſericorditer eum illa agere & illi parcere velit. Nam ſi uxorem retinendo ſperat illam utcumque emendam, juſte propter illius correctionem, poterit illam apud ſe retinere, dummodo illi qui uxoris adulterium noverant admoneat, ſe uxorem ſuam apud ſe retinere, non ut illius crimen foveat, ſed potius ut illam corrigat, & à crimine avocet: quod, Deo adjuvatore, ſe facturum ſperat. Quæ admonitione facta ſi illi nihilominus ſcandalizantur, non teneat ad illorum ſcandalum evitandum eam dimittere. Quia tale non eſt ſcandalum parvulorum ex ignorantia aut infirmitate proveniens, ſed eſt ſcandalum Phariſæorum, procedens ex pura malitia, quod Salvator noſter eſſe contemnendum docuit, (*Matth. 18.*) dicens: *Sinite illos, ceci ſunt, & ducite cacorum.* Et ſi poteſt eam retinere propter ſolam correctionis ſpem, multo melius id facere poterit quum viderit illam jam correctam & emendam. Poteſt enim quiſque juri ſuo renuntiare, præſertim quando nullum inde alteri periculum imminet. Cum igitur nullum uxori præſtatur periculum, nec ullum aliis ex retentione præbetur ſcandalum, quia omnibus nota eſt illius correctio, poterit vir illum olim adulteram apud ſe retinere, & renuntiare juri ſuo quod habebat ad dimittendum illam. Quam renuntiationem poſtquam ſemel per carnalem copulam fecerit, non poterit deinceps propter illud delictum illam à ſe dimittere. Deinde, ſi uxorem adulteram à ſe repellens diſſidit ſe poſſe caſte vivere, poteſt eam juſte apud ſe retinere ad evitandum peccatum quod, illa repulſa, metuit ſe co-

miſſurum. Et hoc verum eſt, etiam ſi illam retinens ſperet per hoc illam minus fore emendam, quam ſi illam à ſe repulſiſſet. Quia magis tenetur ſaluti anime ſuæ proſpicere quam aliene, & nemo eam periculo anime ſuæ teneat, ſalutem anime alterius perquirere. Et probatur hoc apertius per hoc quod vir non magis obligatur ad corrigendam uxorem ſuam, quam dominus ſervum. Dominus autem non teneatur à ſe repellere ſervum excommunicatum, ſed poteſt ab eo quamvis excommunicato, debitum ſervitium exigere: ergo eodem modo vir poterit, quum ſibi opus fuerit ab uxore debitum petere, quamvis illa in crimine adulterii perſiſtat, præſertim cum magis teneatur uxor ad reddendum debitum viro, quam ſervus ad reddendum ſervitium domino. Si vero maritus conſidit in domino, uxore repulſa, ſe poſſe continere, & non ſperat uxore reſenta illam fore emendam, tenebitur illam à ſe expellere, ne peccatum illius fovere videatur illam retinendo. Et in hoc ſolo caſu poteſt eſſe intelligendum Hieronymum, qui dicit peccare illum qui adulterum retinet. Nam in Comentariis ſuper Mattheum, interpretans illa Salvatoris verba ex decimo nono Matthei capite, ſupra citata, ſic ait: *Sola fornicatio eſt que uxoris vincat affectum. Immo cum illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit à marito, non debet teneri ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente ſcripturæ (*Prov. 18.*) *Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt.* Ubi cumque eſt igitur fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, liberare uxor dimittitur. Hæc Hieronymus, & ciantur ejus verba à Gratiano, in cap. Dixit Dominus in Evangelio 30. q. 1. In quibus verbis apertissime docet peccare & quidem mortaliter virum, qui uxorem ſuam adulteram retinet. Sed hoc (ut diximus) tunc ſolum veritatem habet, quando vir conſidit ſe poſſe ſine uxore caſte vivere, & non ſperat illam magis corrigendam, ſi apud ſe retineat, quam ſi à ſe repellat. Nam ſi alterum horum deſit, juſte poterit eam retinere. Cæterum quod Hieronymus dixit, per ſuſpicionem fornicationis poſſe uxorem dimitti, non de quacumque ſuſpitione intelligendum eſt, ſed ſolum de gravi & violenta, quæ merito purgationem exigere valeat, qualis exprimitur in cap. Litteris tuæ fraternitatis, de Præſumptionibus; vel alia ſimilis quæ vehementer perſuadeat conjugis adulterium. Alioquin anſa præberetur mulieribus quæ natura ſunt ſuſpicioſiſſimæ, ut facile, & abſque ulla cauſa ad nutum leviſſimæ ſuſpicionis viros ſuoſ repellere poſſent. Si violentam habet inſiſtens de ſuo conjugis ſuſpicionem, tunc veram eſſe credo Hieronymi ſententiam, ut propter illam merito poſſit illi purgationem injungere, quam ſi facere neglexerit, aut in ea deſecerit, juſte poterit illi debitum negare. Hæc tamen legem Evangelicam à Chriſto Salvatore noſtro contra adulteros datam, declaravimus: ſuper eſt, ut probemus illam eſſe legem poenalem, & obligare adulterum conjugem ad pœnam in illa ſtatutam, etiam ante omnem judicis ſententiam. Certum quidem eſt pœnam eſſe adulterii conjugii privatum eſſe jure exigendi debitum ab altero conjugis ſuo: & inde apertissime colligitur, ut lex quæ talem pœnam contra adulterum ſtatuit, ſit poenalis cenſenda. Ad hanc autem pœnam ſuſtinendam obligatur in conſcientia adulter abſque aliqua judicis ſententia, quæ illum de crimine damnet. Nam licet ad divortium plenum faciendam, & cohabitationem juſto ſeparandam requiratur judicis ſententia, ad hoc tamen, ut reſta cohabitatione debitum ſecreto negetur, nulla requiritur judicis ſententia; ſed ſatis eſt ut illi quovis modo conſtet de crimine alterius, aut violentam (ut*

profus modum dicendum est de lege scripta, quae non est aliquid quam quoddam testimonium voluntatis ipsius legislatoris. Quia enim legislator non potest omni loco adesse, & omnibus verbis praecipere, utitur scriptura, per quam omnibus sibi subditis ostendat suam voluntatem. Et huic sententiae attestatur Tullius, qui libro secundo de legibus sic ait: Vere dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem magistrum magistratum. Haec ille. At quum voluntas legislatoris sit, quae subditos obliget, & voluntas ipsius aequae per scripturam manifestetur ac per vocem, & vincitur inde legem scriptam ita obligare subditorum conscientias ad aliquid agendum vel permitendum, sicut obligaret viva ipsius legislatoris vox. Ex quo appetitissime colligitur, eum qui a iure est damnatus ad aliquam certam poenam solvendam, teneat in conscientia ad illam reddendam, sicut teneatur, si a Iudice condemnaretur ad illam. Quia non minoris potestatis est circa obligationem lex, quam Iudex. Forte aliquis huius argumentationem vitare agnoscens, volensque suam opinionem pertinaciter tueri, dicit hominem a Iudice damnatum ad poenam non teneri in conscientia ad reddendum illam, sed satis illi esse, ut patienter toletet, si capiatur ab eo id, ad quod damnatus est, & non resistat capienti. Sed haec responsio quam longe distet a veritate, iam supra ostendi capitulo tertio huius libri secundi.

Tertio, eandem principalem conclusionem sic probat: Ecclesia obligat fideles ad jejunium aliquot anni diebus (ut omnes tam Canonistae, quam Theologi sententur) sub poena culpae mortalis suscipiendum. At cum consistat jejunii legem esse poenalem, inde aperte convincitur Ecclesiam posse facere legem poenalem obligantem ad poenam in foro conscientiae suscipiendam. Forte, aliquis negabit, jejunii legem esse poenalem: quia licet jejunium in se sit poenale, non tamen est poena, prout nunc loquimur de poena. Poena enim de qua nunc loquimur (ut lib. 1. cap. 3. diximus) quodammodo respicit culpam: quia non nisi propter culpam imponitur. At jejunium ab Ecclesia statutum non solum injungitur propter peccata iam perpetrata: quoniam si sic esset, is qui esset liber a culpa, ad talia jejunia non obligaretur. Hoc autem falsum est & haereticum, & velut tale damnatum in Concilio Viennensi, cujus definitio habetur in Clementina, Ad nostrum, de haereticis. Est ergo jejunium ab Ecclesia institutum ad reprimenda peccata, praeterquam illa quae ex nimio cibo & potu oriri solent. Qui corporali jejunio (inquit Gregorius in praefatione Missae quadragesimalis) vitia comprimis. Hoc igitur aliqui considerantes, forte dicent, jejunium non esse poenam, & legem de jejunio non esse poenalem. Sed hoc parum obstat, quia sicut Ecclesia statuit jejunium ad comprimenda peccata, ita etiam potest injungere jejunium ad satisfaciendum Deo pro peccatis, sicut Regem Ninivitarum olim fecisse videmus. Hic enim (ut sacra testatur historia Jonae 3.) ut iram Dei, quam pro suis peccatis exasperatam esse agnoscebat, mitigaret, jejunium omnibus sine ullo discrimine indicit. Ex qua re nostri Theologi colligunt, Ecclesiam propter aliquam similem communem causam posse obligare etiam parvulos ad jejunium. Si ob similem causam Ecclesia jejunium indiceret, nullus negaret jejunium illud esse poenam, & legem illud praecipientem esse poenalem. Quia propter peccata iam commissa tale praeciperet jejunium. Quae lege data, cum omnes ad illam obligarentur, constaret tunc Ecclesiam per legem ab ea datam obligare ad poenam in foro conscientiae suscipiendam. Possent etiam Ecclesia statuere legem, quae sub interminatione

gehennae praeciperet, ut qui tale aut tale crimen commisset, teneretur jejunare uno aut altero die: sicut Sacerdos juxta quorundam opinionem potest obligare poenitentem ad jejunium pro peccato suscipiendum. Nam huiusmodi tales leges fuerunt olim ab Ecclesia latae, quamvis non constet eas fuisse datas hac intentione, ut illarum transgressores essent culpae mortali obnoxii. In cap. Accepti, de sponsa duorum, praecipitur, ut qui contrahit cum aliqua, quae est alteri desponsata per verba de praesenti, ipsa dimissa, quadraginta dies jejunet in pane & aqua. In cap. Quicumque, 6. h. 1. praecipitur, ut qui perjurus fuerit, quadraginta diebus in pane & aqua jejunet. In cap. Ut meniarum, de emptione & venditione, praecipitur, ut qui mensurat in falsa mensura, jejunet viginti diebus in pane & aqua. In his omnibus Ecclesia praecipit jejunia in poenam praeteritorum peccatorum, & inde constat tales leges esse poenales. Et potest obligare illos ad talem jejunii poenam in foro conscientiae, sicut modo obligat ad jejunium quod imponitur ad futura peccata vitanda. Praeterea, quarto eandem principalem conclusionem hoc argumento probat. Homo potest se ipsam obligare ad poenam in foro conscientiae, sine aliqua Judicis sententia solvendam: ergo Ecclesia potest etiam eodem modo hominem fidelem obligare ad illam. Collectio haec, vel ex eo constat esse bona, quod circa poenas inferendas plus potest superior erga inferiora, quam inferior erga se ipsum. Non enim tantum valet, quisque se ipsum propter sua peccata punire, quantum illum superior punire possit. Assumptum huius argumentationis probatur: quia si quis voluisset jejunare quolibet die sabbati sub hac poena, ut quocumque die violasset hoc jejunium, teneretur pecuniam aliquam pauperi largiri, is certe post violatum jejunium teneretur in foro conscientiae illam pecuniam quantitatim, ad quam se obligavit, reddere. Forte hic aliquis respondit, hoc exemplum de voto jejunii nunc adductum nullam habere cum aliis similitudinem aut convenientiam: propterea quod hic taliter volens obligavit se Deo, & ideo non requiritur sententia Judicis, ut poenam, ad quam se Deo obligavit, sustinere cogatur. Sed haec responsio non tollit argumenti difficultatem, quia ad omnia praeccepta divina servanda non obligatur homo homini, sed Deo: & ita juxta hanc responsum oporteret eadem ratione fateri, ut Ecclesia possit obligare in foro conscientiae saltem ad eas poenas quas imposuit pro transgressione divinorum praecceptorum. Ad leges etiam humanas servandas non obligatur homo homini illarum conditori, nisi quia prius obligatus est Deo praecipienti, ut obediamus praepositis nostris. Nam si Deus non praecipisset nobis, ut superioribus nostris obediremus, illorum leges & praeccepta nequaquam nos ad peccatum obligarent. Quo fit, ut data aliqua lege humana iusta, subditus sit obligatus non solum homini sed Deo, ad illius observationem: quia Salvator noster de praepositis Ecclesiae loquens, dixit: (Luc. 20.) Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Ex quo sequitur, ut Ecclesia possit suos subditos obligare in foro conscientiae etiam ad eas poenas quas imponit pro transgressione suorum praecceptorum, quae aliqua ex parte divina praeccepta dici possunt. Nam si homo potest se obligare eleemosynae largiendae, si violaverit jejunium quod ipse vovit, multo melius poterit Ecclesia obligare in foro conscientiae subditum suum ad similem poenam, si ille violaverit jejunium quod illa praecipit. Quia (ut dixi) plus potest illa in poenis inferendis, erga subditos suos, quam

quam singuli eorum circa se ipsos. Rursum, quinto argumento & mea quidem sententia fortissimo, probat eandem principalem conclusionem per multitudinem exemplorum, in quibus appetitissime constat, esse obligationem in foro conscientiae ad poenam subeundam. Et primo loco profero, omnia illa juris canonici decreta, quae committentibus tale aut tale crimen imponunt ipso iure aut excommunicationem, aut suspensionem, aut irregularitatem. In his omnibus (ut omnes fatentur) quicumque aliquod tale crimen commisit, eo ipso sine ulteriori aliqua Judicis sententia, incidit in eam censuram, quae per tale decretum fuerat expressa. Ex quibus decretis aperteissime constat, Ecclesiam obligare eam ad poenam ante omnem condemnationem suscipiendam. Verum hic annotare oportet juxta sententiam Innocentii & Hostiensis in cap. Exiripandae, de praebendis, quod ubi huiusmodi poena imponitur ex facto negativo (sic enim illi loquuntur) non incurritur poena, nisi praecedat monitio. Vocant autem illi factum negativum omissionem actus. Si lex aut canon, gratia exempli, sic disponeret: Si quis non solverit decimas, sit excommunicatus, juxta istorum opinionem non incurrit excommunicationem decimas non solvens, nisi prius fuerit a Iudice admonitus. Hanc tamen illustrationem virorum sententiam reprehendit Dominicus de faecio Gemiliano in cap. Licet canon, §. Is etiam, de electione libro sexto, & citat Archidiaconum in eodem capite, dicentem quod ille textus fuit verbis tam expressis conditus ad reprobendam Innocentii opinionem & Hostiensis. Quoniam in illo textu imponitur poena propter omissionem alicujus actus, quam is qui talem actum omittit, sine aliqua monitione incurrit: quod Innocentius & Hostiensis negant. Verum Joannes Andreas mitis & benignus hos illustres viros tractans in eodem cap. Licet canon, dicit, se non putare talem Innocentii opinionem esse pro illud capitulum reprobandum, sed illam intelligendam esse asserit, quando non praestigium terminus facto negativo, aut omissioni actus: quia tunc dicit necessariam esse monitionem, ut poena incurrat. Ubi autem terminus a jure praefixus est, tunc dicit reum incidere ipso iure in poenam, quia tempus a jure statutum (ut ille ait) interpellat pro homine. Talis est poena quae imponitur in praedicto cap. Licet canon, quia illic (ut ex littera constat) terminus omissioni actus, aut facto negativo (ut illi loquuntur) praefixus est. Innocentius autem & Hostiensis tunc solum censent necessariam esse monitionem antequam poena incurrat, quando poena imponitur pro facto negativo sine ulla temporis determinatione. Ut, gratia exempli, si statutum sic dicat: Quicumque canonicus non residerit in Ecclesia sua, sit excommunicatus, non incurrit excommunicationem non residens (ut Joannes Andreas censet) donec a Iudice moneatur, & parere negligat. Sive autem monitio in aliquibus casibus requiratur, sive non, hoc tamen est ab omnibus haud dubie confessum, non esse necessariam Judicis sententiam, ut quis incurrat excommunicationem, aut suspensionem, aut irregularitatem, quae est a jure imposita. Cajetanus in sua summa in titulo, Poena, & alii qui docent semper esse necessariam Judicis sententiam, antequam aliquis incidat in poenam a jure latam, dicunt hoc non esse verum in censuris. Quia in illis hoc semper verum est, quod is qui legem transgreditur, sine ulteriori Judicis sententia incidit in poenam a jure impositam. Sed quare in aliis poenis requiritur Judicis sententia, in censuris autem non, causam reddit idem Cajetanus in Commentariis quae

fecit super 2. 2. Sancti Thomae, quaest. 62. art. 3. his verbis dicens: Poena statuta in lege est duplex. Quaedam ad cujus executionem requiritur aliqua actio. Quaedam autem, cujus executio nullam actionem requirit. Verbi gratia, poenae mortis, mutilationis, verberis, carceris, exilii, solutionis, confiscationis, seu privationis honorum, & huiusmodi non possunt executioni mandari per solam legem, nisi interveniat actio aliqua, puta occidere, mutilare, verberare, includere, ire, solvere, accipere, vel dare, & si qua est alia ejusmodi actio. Poenae autem excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, & si qua est alia similis, nullam actionem in sui executione exigunt. Sed non communicare cum fidelibus, non immiscere se prohibitis, non exercere actum ordinis, quae in sola negatione seu privatione consistunt, sufficiunt ad earum executionem. Et aliquibus interpositis, subdit: Punire, id est, punitionem statueri, est actus legis, & punire executive convenit etiam legi, quando poena non exigit actionem in executione. Et certe haec differentia aperte ex his, quae supra diximus, convincitur nullius esse momenti. Nam ut quis fame moriatur, nulla est necessaria actio, sed satis est, ut quis nolit sumere cibum. Constat autem, quod nullus potest a lege sicut nec a Iudice condemnari, ut cibum non sumat. Falsum est igitur, quod punire, executive (ut Cajetanus ait) convenit etiam legi, quando poena non exigit actionem in executione. Praeterea, ad non exendum a carcere nulla requiritur actio, sed sufficit sola quies, quae non est nisi privatio motus: nullus tamen damnandus a Iudice ad mortem, possit a lege damnari, ut maneret in carcere. Non est ergo haec integra & consummata ratio, propter quam excommunicatione, immo nec utile, ut pro reprobatione huius sententiae Cajetani plura afferam argumenta. Nam satis, quod ad rem attinet, me factorum existimo, si alias plurimas prodiderim leges, quae ad poenas alias a censuris ante omnem Judicis sententiam suscipiendas obligent reos in conscientia. In cap. Transmissae, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, imponitur poena incestuosa, ut contrahere matrimonium non possit, nisi cum illo dispenseretur, & si cum tale crimen commisit, fuerat matrimonio alligatus, imponitur illi poena, ut exigere debitum ab uxore non possit, nisi fuerit cum eo dispensatus. Certum est, has duas poenas obligare in conscientia incestuosos, ita ut post incestum sine dispensatione contrahens, aut debitum ab uxore exigens, mortaliter peccet, etiam si nulla post incestum sequatur Judicis sententia, quae illum ad talem poenam damnet, aut declaret illum in talem poenam mortalem incidisse. Alioqui incestuosus occultas non peccaret sine dispensatione contrahens, aut debitum ab uxore petens. Sed hoc corollarium videtur concedere Abbas, qui in cap. Litteris, de praefationibus, videtur innuere esse necessarium, ut quomodocumque confit de crimine, ad hoc quod incestuosus in talem incidat poenam. Hoc tamen non aperte dicit, sed verbis subobscuris, quorum intelligentia non facile patet: quia non dicit esse necessariam Judicis sententiam, sed solum dicit esse necessarium, ut qualitercumque de crimine confiter. Sive autem hoc, sive illud dicat esse necessarium, dictum illius non videtur mihi verum. Quoniam juxta illud, sententia illius cap. Transmissae, numquam aut rarissime suum fortiter effectum, quia peccatum illud talis est conditionis, ut

diximus) de illo habeat suspensionem. Tunc enim adulter ante iudicis sententiam potest absque ullo peccato blande & humiliter ab innocente conjugale debitum petere, & illo donante recipere: non tamen potest illo negante, per vim & violentiam capere. Et si taliter acceperit, nullus vel mediocriter doctus illum mortaliter peccasse negabit: quia id quod iure sibi non debebatur, arripuit. Et ob hanc causam dicit Petrus de Palude, quod si Ecclesia præcipere alicui qui certus est de adulterio uxoris suæ, quamvis illud probare non potest, ut reddat debitum uxori suæ, non teneretur illi obedire, quia tale præceptum procedit ex errore & ignorantia. Si enim iudex sciret uxorem esse adulteram, non præcipere marito, ut debitum uxori redderet. Nam sic præcipiendo, apertam illi facit injuriam, quia sic compellens illum, infligit illi sine culpa illius bigamiam quam eo ipso incurrit, si illam post adulterium cognoscit, ut dicitur in cap. Si cuius, & in cap. Si laici, 34. distict. Deinde, juxta communem & veritorem opinionem, is qui in foro contentioso damnatus est allegata & probata, non tenetur in foro conscientie (ut libro primo, cap. 6. diximus) obedire sententiæ iudicis, nisi forte ratione scandali veritatem, sed iuste secundum allegata & probata, non tenetur in foro conscientie (ut libro primo, cap. 6. diximus) obedire sententiæ iudicis, nisi forte ratione scandali quod toris viribus vitare tenetur. Cum igitur maritus innocens possit uxorem adulteram sine iudicis sententiâ, immo contra iudicis sententiâ a thoro repellere, aperte convincitur in legem aliquam Evangelicam poenalem obligare in conscientia ad poenam in illa statutam. Quidam vir doctissimus theologus, cum quo rem hanc amice conferebam, qui constantem tueri nitabatur, nullam legem poenalem obligare ad poenam in foro conscientie sustinendam, vehementer admirabatur, quum ego illi hanc legem Evangelicam contra adulteros datam objeci, & simulam aliquam, qua elabi posset, quaerens, respondit mihi negando adulterum esse obligatum ad poenam ante sententiam. Quia (ut ille dicebat) quando innocens adulterum repellit à thoro propter adulterium commissum, tunc illum condemnat, & fert contra illum sententiâ, & post illam sententiâ contra illum datam, adulter est privatus iure petendi debitum, & non ante. Hanc autem responsionem falsam esse facillime convincam: & ut apertius id fiat, oportet annotare, quod non simul & in eodem tempore contingunt hæc duo, videlicet petitio adulteri qua debitum ab innocente petit, & negatio innocentis qua renuit debitum conjugale reddere. Nam (ut apertissime constat) ipsa petitio præcedit tempore negationem. Quæro igitur in illo priori tempore quando adulter petit, antequam sit illi quod petit denegatum, an tunc habeat jus ad petendum, an non. Si tunc habeat jus ad petendum, ergo alius postea injuste illi negat. Consequentia vel ex eo est apertissima, quod jus ad petendum, & obligatio ad reddendum sunt correlativa quæ mutuo se consequuntur. Sicut enim præcipere, & obedire se mutuo consequuntur, ita exigere, & reddere. Nam si Petrus potest aliquid præcipere Joanni, consequens est, ut Joannes teneatur obedire Petro; alioqui Petrus non posset illi iure præcipere aliquid. Ad eundem modum se habeat exigere & reddere: quia si adulter potest non solum blande & humiliter ab innocente petere, sed etiam exigere, necessario sequitur, ut innocens teneatur reddere. Constat autem quod innocens non tenetur reddere, immo sæpe. (ut supra diximus) tenetur non reddere; ergo adulter antequam ab innocente repellatur, quamvis possit humiliter debitum conjugale ab eo petere, non tamen exigere, hoc est, iure & iuste tamquam sibi debitum petere. Si tunc hoc non

potest facere adulter, apertissime inde convincitur adulterum esse privatum iure petendi debitum à conjugate innocente, antequam ab illo repellatur. Quam poenam cum non aliunde sustineat, nisi quia est sibi per legem Evangelicam inflicta, sequitur inde legem illam Evangelicam contra adulteros datam esse poenalem, & obligare adulterum in conscientia ad poenam in ea constitutam, etiam ante omnem, sive publicam, sive privatam condemnationem. Et hinc ulterius infero, quod si uxore ignorante mariti sui adulterium, propter aliquam aliam severam causam negaret marito adultero debitum conjugale, & ille invitam illam cogeret ad reddendum, uterque illorum peccaret mortaliter. Illa, quia agit contra conscientiam, dum negat debitum illi, quem credidit esse innocentem. Ille vero, quia petit & per vim capit quod iure capere non potest. Ex quo apertissime convincitur talem poenam esse adultero inflictam absque ulla uxoris condemnatione, quia etsi illa debitum marito negaverit, hæc tamen repulsam, illa non propter adulterium, sed propter aliam causam (ut suppositimus) dedit. Forte hic aliquis dicit (prout quidam alius vir æque doctus ac prudens cum quo etiam rem hanc amice contuli, mihi respondit) legem illam non esse in Evangelio primitus datam, sed esse ex ipsa natura lege, & primæva matrimonii institutione, & ex natura ipsius matrimonialis contractus. Sed hæc responsio toto (ut dicitur) errat caelo, & multo longius à recto tramite discedit quam procedens. Nam etsi illi gratis deus hoc proveniret ex lege naturæ, ex ipsa tamen responsione sequitur aliquam esse naturæ legem poenalem quæ obliget in foro (ut dici solet) conscientie ad poenam subeundam absque ulla sententiâ quæ illum ad talem poenam damnet. Nam quod hæc fit lex, & quod in conscientia obliget, apertius quam probatum est, quam ut quis merito negare possit. Quamvis enim ita esset, ut ex natura ipsius contractus matrimonialis oritur illa poena, non obstat, ut ipsa natura contractus non dicatur lex, per quam ipse contractus firmatur, & roboratur. Deinde falsum est talem poenam ex ipsa matrimonii natura oriri, quia hæc adulterorum poena nunquam ante legem Evangelicam innotuit, & nisi Christus eam promulgasset, non erat nota in lumine naturali. Nullum enim in toto veteri testamento reperitur huius legis vestigium. At si illa esset ex lege naturæ, fuisset in aliquo veteris testamenti loco utique declarata, quemadmodum multa alia non tam necessaria, ut hæc, tunc ibidem expressa. In veteri testamento fuit lex contra adulteros, ut lapidarentur. In lege autem Evangelica, quæ multo mitior est, data est lex, quæ innocenti conjugii concedit facilitatem repellendi à suo thoro nocentem. Ex quibus omnibus aperte convincitur legem illam contra adulteros datam esse à Christo primitus promulgatam, & obligare adulterum in foro conscientie ad poenam in illa statutam, ante aliquam ulteriorem condemnationem.

HOC igitur tam firmissimo jacto, fundamento, ad reliquam nostræ disputationis structuram, quam potissimum intendo, perferendam, progrediens, dico Ecclesiam posse statuere legem poenalem obligantem conscientiam

cientiam peccatoris ad poenam sine aliqua iudicis sententiâ subeundam. Voco autem Ecclesiam non solum fidelium congregationem, sed etiam ipsius congregationis prælatum, quemadmodum Salvator noster vocavit illam Ecclesiam cum de peccatore semel & iterum admonito, & non correcto, præcepit illum esse denuntiandum Ecclesiæ. (Mat. 18.) Tunc enim Ecclesiæ nomine prælatum illius intellexit, & non totam fidelium congregationem. Alioqui nunquam, aut rarissime, aut difficillime talis denuntiatio fieri posset, quia tota fidelium universitas difficillime poterat in uno loco congregari. Et certe non est verosimile Christum Salvatorem nostrum voluisse, ut pro quolibet peccatore bis admonito, & non correcto semper tota simul congregaretur fidelium universitas. Et hinc patet quam male argumentantur, qui verba illa Salvatoris citant ad probandum Concilium esse supra Papam, volentes nomine Ecclesiæ loco illo Concilium universalem Ecclesiam representans intelligi: cum illic solus Ecclesiæ prælatus intelligatur, cui denuntiandum esse præcipit Christus crimen fratris bis admoniti & minime correcti. Prælatum enim Ecclesiam cui præest representat, quemadmodum caput totum corpus cui præficitur. Sive igitur nomine Ecclesiæ totum corpus, sive solum illius caput intelligas, dico Ecclesiam posse statuere legem poenalem, quæ obliget peccatoris conscientiam ad poenam aliquam absque ulla iudicis sententiâ sustinendam. Hæc conclusio aperte deducitur ex his quæ in proximo præcedenti capitulo probata sunt. Ecclesia enim (ut libro primo, cap. 5. docuimus) per potestatem ad hoc sibi à Deo traditam potest leges condere de quacumque re, quæ non sit contra jus naturæ, aut divinam, præsertim si res illa iuribus ad meliorem mandatorum Dei observationem, & potest homines sibi subditos ad tallium legum observationem, si res de qua ille decernunt sunt graves, sic obligare, ut illarum transgressio sit illis mortalis. At hominem peccatorem obligari in conscientia per legem ad poenam sine iudicis sententiâ subeundam, non est contra jus naturæ, nec divinum. Quia (ut præcedenti capitulo probavimus) aliæ sunt leges divinæ quæ olim obligaverunt, & aliæ nunc obligat ad poenam absque omni iudicis sententiâ sustinendam. Ex quo aperte convincitur talem legem statuere non esse contra jus naturæ, quia est Deus aliquando, juxta quorundam opinionem, in his quæ lege naturæ præcepta, aut prohibita sunt, dispensaverit, nunquam tamen legem statuit, quæ legi naturæ repugnaret. Tunc enim ipsa lex naturæ eo ipso efficeretur injusta, & à rectitudine devians: quoniam (ut Augustinus libro de Libero arbitrio docet) est naturalis: ideo semper est recta, quia semper se divinæ voluntati conformat. Cui sententiæ servant ea testimonia quæ lib. 1. cap. 10. citavimus ex Cypriano & Aristotele. Præterea, si esset contra jus naturæ legem obligantem in foro conscientie ad poenam sine ulteriori sententiâ solvendam, hoc posset ex sacris litteris manifeste ostendi, quoniam totum jus naturæ in illis plenissime continetur, & perfectissime declaratur. At nullus est sacre scripturæ locus qui doceat neminem posse obligari in conscientia ad poenam sine aliqua iudicis sententiâ solvendam: ergo non est contra jus naturæ talem legem statuere, quæ peccatorem in conscientia obliget ad poenam subeundam. Peccator enim etiam obligari in conscientia ad poenam suo crimini debitam sine aliqua iudicis sententiâ solvendam, multum prodest ad meliorem legum tam divinarum quam humanarum observationem. Quia sciam poena à lege statuta, & à iudice inferenda utilis est (ut

lib. 1. cap. 4. aperte ostendimus) ad publica crimina coercenda; ita etiam talis obligatio ad poenam in conscientia solvendam utilis est ad cohibendos homines, ne fecerit crimina perpetrare audeant. Nam timore talis poenæ solvendæ multi revocabuntur à rebus criminum occultorum perpetratione, si ad talem poenam sine aliqua iudicis sententiâ solvendam conscientias obligatas esse intellexerint. Hoc enim quondam experimus in his, qui ut ab aliquo crimine melius abstinere possint, voverunt se aliquod difficile & arduum facturos, ut timore talis poenæ, ad quam etiam si occultissime crimen illud commiserint, obligandos se fore intelligunt, revocentur à crimine, ad quod se pronos esse agnoscunt. Nec dubium est eodem modo, plerisque homines timore poenæ per legem impostæ fore cohibendos à crimine occultorum perpetratione, si intelligerent se in conscientia esse obligatos ad talem poenam absque aliqua iudicis sententiâ quæ illam declaret in tale crimen incidisse. Cum igitur tanta ex huiusmodi lege ad poenam in foro conscientie obligantem provenire possit utilitas, convincitur inde apertissime Ecclesiam posse conscientiam peccatoris obligare ad poenam sine aliqua iudicis sententiâ solvendam. Nec solum hoc facere potest, sed aliquid id facere oporteret, ut puta in aliquibus gravibus delictis quæ plus possunt nocere republicæ in occulto, quam in publico commissa. Secundo præfatam nostram principalem conclusionem, sic proba: Si nulla esset lex scripta quæ domineret alicuius certi criminis reum aliqua certa poena decerneret esse puniendum, posset iudex secundum juris naturalis regulas huiusmodi hominem ad aliquam poenam dammare. Et ut rem apertius explicemus, aliqua oportet proponere exempla. Si nulla esset lex quæ reum criminis læsæ majestatis privaret omnibus bonis suis, sicut nunc privatur per legem. Quisquis cum militibus, C. ad legem Juliam majestatis, posset nihilominus Imperator, aut qui illius gereret vices, eum qui regalem læsisset majestatem, privare omnibus suis bonis, & præcipere illi, ut illa fisco redderet. Quæ peracta, homo ille teneretur in conscientia ad reddendum bona sua fisco. Ad eundem modum si lex illa prima quæ habetur in Codice Justiniano, titulo Ad legem Juliam repetundarum, nunquam fuisset lata, posset nihilominus Rex, aut qui illius tenet locum, Præsidem provincie quæ aliquid in illa rapuisset ad poenam quadrupli condemnare. Quæ data condemnatione, certissimum & indubitatum est (ut cap. 3. hujus secundi libri probavimus) Præsidem sic damnatum obligari in conscientia ad talem poenam solvendam. Si iudex potest obligare conscientiam peccatoris ad poenam solvendam: ergo etiam lex poterit ad eam eodem modo obligare. Alioqui oportebit fateri legem scriptam minoris esse potestatis ad obligandum conscientias subditorum, quam lex viva quæ est ipse legislator. Hoc autem quam absonum sit, & à veritate devians, vel mediocriter doctus intelliget. Nam sicut potuit legislator verbo aliquid præcipere, ita etiam scripto. Mentem siquidem nostram scripturis perinde ac verbis manifestamus. Et propter hanc causam scriptura illa per quam defunctus disponit, quid post mortem suam de bonis suis agi velit, latine dicitur testamentum, quia est quoddam mentis defuncti testimonium. Dicitur etiam ultima defuncti voluntas, non quidem quod ipsa scriptura sit vera defuncti voluntas, sed quia exprimit & manifestat defuncti voluntatem. Sicut defunctus obligat heredem verbo quod sufficienti numero testium comprobatur, ita etiam obligat eundem heredem per scripturam iuste & legitime confectam. Ad eundem

raro contingat esse notorium. Sed quia forte aliquis rem non bene considerans, sola Abbatis auctoritate motus, contenderit fueri, etiam in crimine incestus necessariam esse Judicis sententiam, ut incestuosus incidat in poenam a jure illiusmodi, alias profero leges, quae sine ulla profus dubitatione obligant in conscientia illius transgressorem ad poenam absque aliqua Judicis sententia subeundam. Lex tam canonica, quam civilis decernit praescriptionem esse licitam & justam, si adint omnia illa, quae ad justam praescriptionem sunt necessaria, videlicet possessio rei praescribendae, bona fides praescribentis, jactus titulus, & quod res sit talis, ut possit praescribi. Primo quidem est necessaria possessio: quia (ut dicitur de regulis juris lib. 6.) sine possessione praescriptio non procedit. Hanc autem possessionem oportet esse continuam absque ulla interruptione, quousque legitimum praescriptionis tempus finiatur, alioqui praescriptio non valebit, prout definitum est in cap. Illud, de praescriptionibus. Possessorem vero hoc loco intelligere oportet, illum solum, qui rem suo nomine possidet, non autem qui alieno nomine possidet. Quo fit, ut is qui rem precario possidet, namquam possit praescribere, nec colonus, nec usufructuarius, nec creditor cui pignus commissum est, nec agri locator. Quoniam nullus istorum nomine suo, sed alieno, rem possidet. Secundo exigitur bona fides in possidente: quia (ut regula juris ait) possessor male fidei ullo tempore non praescribit. Quae autem confenda sit bona fides, & an dubia conscientia de alieno possit convenire cum bona fide, res est longioris disputationis, & quae impraesertim, ubi haec obiter tractamus, minime discutit possit, inferius tamen in alio hujus libri capitulo aliquid de illa dicere cogemur. Tertium necessario requisitum ad justam praescriptionem est justus titulus, ut dicitur in cap. Si diligenti, de praescriptionibus. Justum autem titulum dico omnem illum, per quem jusse acquiratur dominium, ut est donatio, emptio, transactio, heredis institutio. Quo loco annotat glossa, non oportere titulum esse verum, ut justus dicatur, sed satis est illum esse praesumptum verum, licet sit falsus: quoniam si titulus esset verus, non esset opus praescriptione ad consequendum dominium, quia sine tali praescriptione haberetur. Ultimum requisitum ad praescriptionem est, ut res ipsa sit praescribibilis. Nam sunt multae res, quae ex juris decreto praescribi non possunt. Tributa, quae Principi debentur in recognitionem domini praescribi non possunt. leg. Competit, C. de praescript. Obedientia superioribus debita non potest a subditis praescribi: quia jure divino praecipitur subditum obedire Praelato, cap. Cum non liceat, de praescriptionibus. Liber homo praescribi non potest, nec res sacra, nec religiosa, nec servus fugitivus, instituitur de usufructu. §. sed aliquando. Sunt aliae res, quae praescribi non possunt, praesertim ab aliquibus certis personis, propterea quod tales personae res illas possidere non possunt, ut laici qui decimas aut alias res Ecclesiasticas jure possidere non possunt, & inde sequitur, ut illas praescribere non valeant: quia (ut diximus) sine possessione praescriptio non procedit. Haec igitur praescriptionis lex sic ut praesertim declarata, quamvis circa illius intelligentiam variant Doctores, justa tamen ab omnibus censetur. Quia per illam pax Reipublicae conservatur, & finis multis imponitur litibus, quas saepe esset necessarium abire in infinitum. Nam alias, quamlibet longissimo tempore elapso, posset qui rem neglexit, aut haeres illius rem illam repetere ab alio, qui eam per longissimum tempus occupaverat, & sic tales quotidie emergent lites,

ut impossibile esset, certam in illis definitionem dare propter ignorantiam eorum, quae ante longissimum tempus praeteritum contigerunt. Ex talibus autem perpetuis litibus suscitarentur & foverentur jurgia & odia inter litigantes, quae vehementer pacem Reipublicae turbare possent. Haec autem praescriptionis legem esse poenalem, vel ex eo apertissime constat, quod per illam sit, contra quem sit praescriptio, puniatur privatione rei alius suae, propter negligentiam quam habuit in repetendo, aut procurando rem suam. Tanti enim aestimat jus negligentiam illam tam prolixam, & tam obstrictam, ut judicet, illum sic negligentem tali poena esse merito puniendum, ut eo ipso sit prorsus illius domipio privatus. Ideo Panormitanus in principio tituli de praescriptionibus, volens praescriptionem definire, sic ait: Praescriptio est jus quoddam ex tempore congruens, auctoritatem legum vim capiens, poenam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Haec Panormitanus. In quibus verbis id potissime annotandum est, quod ait, poenam negligentibus inferens. Nam per illud verbum apertissime declaravit praescriptionis legem esse poenalem. Ob similem causam in Flandria, & Brabantia, quae pars est inferioris Germaniae, rem furto sublatam, si illam Judex apud furem inveniat, lex jubet non restitui domino, a quo fuerat sublata, sed manere penes Judicem, qui furem apprehendit. Nam ut quisque res suas diligenter custodiat, dicunt eum a quo res est furto sublata, merito puniri privatione illius rei propter negligentiam quam habuit in illius custodia. An autem haec furti lex justa censenda sit, nolo impraesertim disputare, ne longe a scopo discedam, & sic novarum disputationum occasiones querere videar. Haec igitur lex de praescriptione facienda, quam poenalem esse apertissime ostendimus, obligat in conscientia eum, contra quem sit praescriptio ad talem poenam sine aliqua Judicis sententia sustinendam. Nam ut is, qui rem praescribit, juste rem praescriptam possideat, & ille contra quem est facta praescriptio, privetur ejusdem rei dominio, non est opus, ut sententia aliqua Judicis frustragetur, quae declarat legitimam factam esse praescriptionem, sed ipso jure post legitimum praescriptionis tempus elapsam, & alter dominio rei, quod ante praescriptionem habebat, privatur, & alter ejusdem rei dominium acquirit. Ipsa enim lex & unum privat dominium rei olim suae, & alteri ejusdem rei dominium concedit, & ideo non est opus aliqua Judicis sententia, ut plene alterum horum fiat. Quo fit, ut is, contra quem est facta praescriptio, post elapsam legitimum praescriptionis tempus, non possit rem olim suam a praescribente rapere: neque pro illa recompensationem sumere, quemadmodum Doctores dicunt rem meam ab alio detentam, si per Judicem consequi non possum, propria auctoritate me posse illam recuperare: ut notat glossa in cap. Jus genium, distinctione prima, & Petrus de Palude in 4. sententiarum, distinctione 35. quaest. 1. articulo 4. Hoc autem non potest facere is, contra quem est facta praescriptio: quia si post talem praescriptionem factam, rem olim suam raperet, aut pro illa compensationem secreto caperet, peccaret mortaliter peccato quidem furti, quia rem, quae jam non est sua, sed aliena, invito domino accepit. Hoc autem non eveniret, nisi quia illa lex de praescriptione obligavit illum in conscientia ad poenam sine aliqua Judicis sententia sustinendam. Et hanc argumentationem confirmo testimonio illustrium virorum in jure canonico peritissimorum, qui concorditer sentiunt leges & jura, quae loquuntur de praescriptione cum bona fide, obligare in foro conscientiae. Inno-

Innocentius in cap. Cura, de jure patronatus. Abbas in cap. Vigilanti, de praescriptionibus. Petrus de Anchirano in regula, Possessor, de regulis juris lib. 6. Philippus Decius in cap. Canoanar, de constitutionibus, numero 18. Deinde sexto argumento eandem principalem conclusionem probo per cap. Quicumque, §. Haereticus libro 6. ubi Papa praecipit, ut haeretici, aut credentes, aut receptores, aut defensores haereticorum ad nullum beneficium Ecclesiasticum, aut publicum officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, irritum sit & inane. Haec lex, aut constitutio absque ulla dubitatione est manifeste poenalis: quia per illam puniuntur haeretici poena inhabilitatis, aut indignitatis ad beneficia Ecclesiastica, aut officia publica suscipiendum. Quod autem illa obliget in conscientia absque aliqua alia Judicis sententia, ex ipsius constitutionis verbis constat, quibus dicitur: Quod si secus fuerit, irritum sit & inane. Et (ut rem apertiore faciamus) ponamus datum esse aliquod Ecclesiasticum beneficium, aut publicum officium alicui haeretico, qui tamen nondum fuerat de suo crimine damnatus. Hoc igitur supposito, quaero an talis collatio beneficii aut publici officii valeat, an non. Si illam valuisse quis dixerit, eo ipso lateri illum oportet, constitutionem illam, quae habetur in illo predicto §. Haereticus, nullius esse vigoris. Quia in illa (ut diximus) praecipitur, talem collationem esse irritam & inane. Si vero (ut oportet) dixerit talem collationem non valuisse, cum non ob aliam causam illa non valuerit, nisi quia ille, postquam factus est haereticus, eo ipso factus inhabilis ad indignus ad beneficia, aut officia publica suscipienda, convincitur inde apertissime, talem legem obligare in conscientia ad poenam in illa statutam, etiam ante omnem aliam Judicis sententiam. Quia seclusa omni tali sententia, dummodo ille vere haereticus sit, textus dicit irritam esse & inane omnem collationem beneficii, aut publici officii haeretico factam. Et inde apertissime sequitur, haereticum ante omnem Judicis sententiam incidere in poenam inhabilitatis & indignitatis ad beneficia suscipienda. Praeterea, septimo argumento eandem conclusionem principalem probo per illud idem cap. Quicumque, §. Illorum, de haereticis lib. 6. Nam lex aut canon, qui in illo §. ponitur, est poenalis: & (ut ex verbis illius apertissime constat) obligat in conscientia ad poenam in illo statutam, etiam sine ulla alia Judicis sententia. In illo enim textu Papa decernit emancipationem filii factam a patre haeretico, irritam esse & inane, & nullius prorsus valoris, etiam post talem emancipationem declaratur patrem fuisse haereticum: quia ante talem emancipationem (ut dicit textus) jam filius erat sui juris. Filius autem non fuisset sui juris ante talem emancipationem a patre haeretico factam, nisi quia pater eo ipso quod haereticus fuit, amisit patriam potestatem, qua amissa, filius factus est sui juris. Et inde luce clarius convincitur, legem illam obligare haereticum ad poenam in illa statutam absque alia alia Judicis sententia. Et certe nisi nimium contentiosus quis esse velit, & pertinacissime suam tueri sententiam, ex solo textu illius capituli persuadebitur, & convincetur aliquam esse legem poenalem, quae obliget ad poenam in foro conscientiae sustinendam, etiam sine ulteriori aliqua Judicis sententia. Nec video, etiam si rem diligentissime sim percuratus, quo pacto ab hujus argumentationis vinculis quis elabi possit, quin statim eisdem ipsis vinculis constringatur.

Octavo loco, ad ejusdem principalis conclusionis probationem arguo per textum cap. Quaesitum, de cohabi-

tatione clericorum & mulierum. Nam constitutio in illo capitulo posita (ut ex verbis illius aperte constat) est poenalis, & quae ante omnem Judicis sententiam, adeo obligat Sacerdotem fornicarium, ut quocumque se vertat, nisi a crimine abstineat, non possit effugere poenam. Nam illo capitulo Papa Gregorius nonus praecipit, ut Clericus in sacris ordinibus constitutus, existens fornicator notorius, vitetur ab aliis in officiis Ecclesiasticis, & hoc in poenam criminis, ut haec poena urgente, dum se ab aliis vitari contempserit, a crimine abstineat. Fornicatorum autem esse notorium, triplici modo posse contingere declarat, videlicet aut per sententiam, aut per confessionem in judicio factam, aut per rei evidentiam, quae nulla possit tergiversatione zelari. Secladimus duos priores modos notoria fornicationis, & ponamus Sacerdotem aliquem in crimine fornicationis notorio tertio modo solum, hoc est, per rei evidentiam sine sententia contra illum data, & sine confessione de suo crimine per eum in judicio facta. Hic talis eo ipso quod crimen illius est notorium, etiam ante omnem aliam Judicis sententiam incidit in poenam illius capituli, Quaesitum. Quia quocumque modo notoria sit fornicatio illius, sine ulteriori sententia, et in officiis Ecclesiasticis vitandus. Est autem fornicationis crimen (ut ex textu illo constat) aequè notorium per rei evidentiam sine ulla sententia, ac esse per sententiam sine rei evidentia, ergo cum fornicationis crimen per rei evidentiam absque alia sententia constiterit, erit Sacerdos tali crimine infectus absque ulla alia sententia vitandus. Ex quo haereticus sequitur, constitutionem illius capituli, Quaesitum, quam constat esse poenalem, obligare Sacerdotem fornicarium ad poenam in illa contentam absque aliqua alia hominis sententia. Forte aliquis respondebit, illam Papae constitutionem non dirigat ad Sacerdotem fornicarium, sed ad alios: quia non praecipit Sacerdoti fornicario, ut ipse vitetur alios, sed potius est contrario alios praecipit, ut evitent illum. Ex quo forte quis colligere contendet, constitutionem illam non esse poenalem Sacerdoti. Sed hanc responsum nullius prorsus esse roboris facillime convincam. Quia licet alius constitutio illa praecipiat, ut vitent in officiis Ecclesiasticis fornicatorem notorium, hoc tamen non propter ipsos auditores, sed propter ipsum fornicatorem notorium condita est. Nam in poenam criminis statuitur, ut alii illum vitare teneantur. Est enim illi poena non parva, quod sit ab aliis necessario vitandus. Quam poenam semper secum portat, quamdiu in crimine perseverat, nec poterit ullo modo se ab illa eripere, nisi a crimine se abstinere voluerit, ut aequè nota sit aliis illius emendatio, ac fuerat notorium crimen. Quia est alii suae salutis immemores, illum in officiis Ecclesiasticis vitare negligant, ille tamen hoc semper patitur, quod est ab aliis vitandus. Et haec sententia apertissime probatur per haec verba ejusdem capituli, quibus Papa dicit, talem notorium fornicatorem esse apud alios suspensum. Omnem siquidem Sacerdotem peccatorem mortali obnoxium, dicit ibidem Pontifex, esse, quoad se suspensum ab officiis Ecclesiasticis, quia non potest illa recte (ut decet) & sine novi peccati commissione exercere: illum vero, qui est in fornicatione notoria, dicit esse, non solum quoad se, sed etiam quoad alios ab officiis Ecclesiasticis suspensum. Constat autem omnibus suspensionem ab officiis Ecclesiasticis inter Ecclesiasticas poenas recenseri. Et inde ulterius convincitur, constitutionem illam obligare Sacerdotem fornicatorem notorium ad poenam in illa declaratam, quamvis nulla alia accedat Judicis sententia.

Nono argumento adhuc eandem principalem conclusionem probo per decretum quoddam Concilii Lateranensis, sub Leone Papa hujus nominis decimo celebrati, quod Clericis qui Divinum Officium, quod dicere tenebantur Deo persolvere neglexerint, penam quandam infligit, illis apertissime ad illam sustinendam obligans, etiam sine ulla alia hominis sententia. Et quoniam decreta illius Concilii non facile ab omnibus habentur, decrevi verba illius decreti in medium citare, ut ex illis apertius quod dicimus omnibus innotescat. In sessione nona prædicti Concilii hoc quod sequitur decretum continetur. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rara omissionis recitationis, Officii & temporis: sed eos tanquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosinas erogare teneatur. Hactenus verba Concilii. Constat quidem hoc decretum esse penale, quia penam apertam statuit contra illos, qui tam desides sunt, ut post sex menses ab obtento beneficio, Divinum Officium dicere neglexerint. Quod autem obliget transgressoris conscientiam ad penam in illo contentam absque alia judicis sententia, verba ipsius decreti apertissime ostendunt. Dicit enim, quod non faciat fructus suos. In quibus verbis id potissimum annotandum est, quod non privat illum dominio fructuum semel acquisito: sed dicit illum non acquirere dominium illorum, et si illos perceperit, dicit esse injuste perceptos, & teneri ad illorum restitutionem. Si propter solam omissionem Divini Officii sunt injuste percepti, ergo etiam ante judicis sententiam sunt injuste percepti. Quia sententia judicis non est quæ facit perceptionem fructuum injustam, sed sola Divini Officii omisio.

Decimo & ultimo argumento priorem principalem conclusionem probo per textum capituli finalis de prescriptionibus, libro sexto, ubi textus ille exprimens modos, quibus aliquis bonis suis potest esse privatus, duos solos exprimit inter se diversos, videlicet aut per sententiam, aut ipso jure. Sed si semper esset necessaria sententia judicis ad hoc, ut lex poenalis suam consequeretur intentionem, jam non esset bona & consummata divisio illa modorum, quibus homo bonis suis juste potest esse privatus, videlicet per sententiam, aut ipso jure: sed oporteret tertium addere membrum divisionis ex illis duobus constatum, videlicet ipso jure & per sententiam simul. Immo ut brevis res ageretur, nullam oporteret facere membrorum divisionem. Quia unus solus modus sufficeret ad omnem bonorum privationem designandam, ut puta privatio per sententiam. Quia quantumlibet lex privet bonis suis hominem (ut aliis, quibus infra dicemus, placet) non erit privatus, nisi post legem subsequatur judicis sententia. Præterea, si divisio illa est sufficiens, & omnibus modis consummata, oportet ut vox ipsa, aut res, quæ dividitur, conveniat cuilibet membro illius divisionis seorsum accepto. Cum igitur alterum membrum illius divisionis sit, privari ipso jure, & alterum privari per sententiam, oportet ut quolibet illorum modorum seorsum accepto, sine altero fiat privatio bonorum. Et ita oportet, ut quemadmodum sit privatio per sententiam judicis, & non ipso jure, ita sit etiam aliqua privatio bonorum ipso jure facta, & non per sententiam. Alioqui divisio illa non erit bona & perfecta, cum res ipsa divisa non conveniat cuilibet membro divisionis seorsum accepto. Rursum, ut

divisio aliqua sit bona, & recte formata, oportet membra illius esse omnino inter se sic diversa, & à se invicem separata, ut nunquam eisdem convenire possint. Cum ergo illa duo, videlicet privari bonis suis per sententiam, aut ipso jure, sint membra divisionis, necessarium est ut sint à se invicem sic separata, ut non possint eisdem convenire. Ex quo apertissime deducitur, ut qui per sententiam debet esse privatus, non sit privatus ipso jure: & e contrario qui privatus est ipso jure, non sit privandus iterum per sententiam. Et inde ulterius necessario consequitur, ut qui ipso jure ad poenam est damnatus, sit ante omnem judicis sententiam damnatus ad illam. Si ante judicis sententiam est damnatus: ergo ad talem damnationem faciendam, nulla judicis sententia requiritur. Alioqui, si talis judicis sententia esset necessaria, non posset ante illam esse damnatus. Nam sine illo, quod est ad rem aliquam vere necessarium, nequaquam res illa consistere potest. Et ex hoc apertissime convincitur, falsam esse sententiam Thomæ de Vio, Cardinalis Cajetani, qui in sua Summa de Peccatis, titulo, Poena, dicit neminem teneri in foro conscientie ad poenam subeundam, nisi postquam fuerit ad illam damnatus à iudice. Quoniam est judicis sententia (ut aliorum opinio, de qua postea dicemus) esset semper necessaria, ut transgressor legis obligaretur poenam à jure inflictam subire, non tamen oporteret illam esse condemnatoriam. Quia quod semel actum est, non est opus iterum fieri: & ideo qui semel à jure damnatus est, non est necessarium, ut iterum de eodem crimine damnetur. Alioqui (ut nunc proxime diximus) non esset ipso jure damnatus, si oporteret iterum illum per judicem damnari. Præterea, si hoc ita esset, nulla tunc esset differentia inter legem contrahentem sententiam latam, & illam, quæ continet sententiam ferendam. Quia quocumque modo lex statueretur, semper oporteret expectare sententiam à iudice ferendam, ut lex suam fortiretur effectum. Immo sententia à lege lata esset superflua, & quæ nullum fortiretur effectum: quia illa sine sententia à iudice ferenda nihil efficeret. Sententia autem à iudice ferenda, semper sine sententia à jure lata, plenum fortiretur effectum. Et ideo aliter omnes dicunt, quod quamvis talis judicis sententia esset necessaria, satis esset illam esse declarativam criminis commisi, hoc est, talem esse sententiam, ut per illam iudex declaret hominem commisisse crimen illud, propter quod est à jure poena inflicta, absque hoc, quod condemnet illum ad poenam, ad quam est ipso jure damnatus. Quia criminis declaratione data, sine ulteriori judicis damnatione erit ipso facto damnatus ad illam. Et juxta hunc modum teneant suam opinionem alii Theologi, & juris humani periti, Canonistæ videlicet & Legistæ qui docent neminem ante judicis sententiam obligari ad poenam ipso jure inflictam. Felinus, in cap. Rodolphus, de Rescriptis, numero 35, hoc aperte docet, & multorum testimonio confirmat, sic inquit: declaratoria sententia requiritur in poenis ipso jure incurfis, per cap. Cum secundum leges, de Hæreticis, libro sexto. Et non requiritur quod iudex per sententiam puniat, sed satis est quod pronunciet delictum commissum: poena autem sequitur à jure. Bartholus in l. Ejus qui delatorem, ad finem, ff. de Jure fisci. Pro quo vide Joannem Andream, in cap. 1. de Homicidio, lib. 6. quem refert ibi Dominicus in §. finali, ubi dicit, quod ita debent intelligi omnia jura Canonica & civilia, quæ dicunt ipso jure, aut ipso facto aliquem puniri confiscatione bonorum, vel alia poena, ut scilicet sufficiat illum pronuntiare, & declarare illius criminis cul-

pabilem, & locus erit poenis juris, etiam si sententia non exprimat. Et ita intelligit dictum cap. de Homicidio, & dictum cap. Cum secundum leges, Hæc Felinus. Et Baldus, in cap. 1. de Feudo sine culpa non amittendo, eandem docet sententiam. Dicunt ergo omnes isti, sententiam judicis requiri, non ut transgressor legis damnetur ad poenam, ad quam jam erat ipso jure damnatus, sed ut per talem sententiam declarativam criminis constet aliis talem hominem, de quo agitur, commisisse crimen illud, cui à jure est talis poena inflicta. Hanc tamen sententiam declarativam criminis commissi ego non puto semper esse necessariam: quoniam (ut multis argumentis jam probavi) multæ sunt leges & constitutiones poenales, quæ absque alia judicis sententia obligant earum transgressores ad subeundam poenam in illis contentas & decretas. Et præter omnia illa argumenta occurrunt mihi nunc alia duo fortissimum, quod vim, & robur capit ex ipsa ratione propter quam dicunt esse necessariam sententiam declarativam criminis commissi. Nam hæc sententia ideo dicitur esse necessaria, ut constet de crimine commisso, & ideo omnes illi præter Cajetanum vocant illam declarativam criminis, & non condemnatoriam. Ex quo aperte colligitur, ut propter alios, quibus oportet crimen esse notum, sit necessaria talis sententia criminis declarativa, non propter ipsum peccatorem, aut legis transgressorem. Quia est alii ante talem sententiam possent merito de crimine transgressoris dubitare, ipse tamen transgressor ante talem judicis sententiam optime noscit se tale crimen commisisse, pro quo talis est poena à jure inflicta: ergo ante talem judicis sententiam erit obligatus in conscientia ad poenam ad quam est ipso jure damnatus. Collectio ista est manifesta, quia talis sententia, per quam declaratur crimen fuisse commissum, nihil circa ipsum reum operatur, sed solum circa alios, qui ex poena inflicta aliquod commodum, aut damnum suscipere possent. Quo fit, ut si ipse post datam à iudice sententiam, quæ declarat crimen fuisse commissum, reus obligatur in conscientia ad poenam sustinendam, etiam obligetur ante talem sententiam: cum illa nihil profus circa ipsum reum agat. Pro foro exteriori necessariam esse foret aliquam judicis sententiam, ut videlicet alius præter ipsum reum exequatur in eodem reo illam damnationis sententiam à jure contra illum datam. Pro foro autem interiori, in quo ipsemet reus exequatur, aut sustinet in se ipso sententiam contra illum à jure latam, firmissime teneo, nullam esse necessariam judicis sententiam. Ratio discriminis est manifesta, per id quod habetur in primo Regum: *Homines vident ea quæ foris patent; Deus autem intuetur cor.* Quia igitur homines nesciunt ea quæ in corde latent, aut quæ extra cor in occulto, & sine ullo teste sunt, oportet ut aliunde de transgressoris crimine illis constet, ut sententiam à jure contra eum latam alii in illo jure exequi possint. Alioqui sæpe contingeret, ut odio, aut cupiditate sollicitante, ex modica & levi criminis suspitione execratio poenæ contra innocentem & inculpatum fieret. Ut autem hoc non contingeret, optime in aliquibus casibus provide-runt jura, ut poenam, quamvis à jure inflictam, nullus exequatur in reo, nisi prius de crimine illius per sententiam legitimi judicis constiterit. Sic enim decretum est in cap. Cum secundum leges, §. Confiscationis, de Hæreticis, libro sexto. In illo enim loco, Papa postquam statuerat hæreticum ipso jure esse omnibus bonis suis privatum, & bona illius esse fisco applicata, prohibet fisco ne bona hæretici apprehendat, antequam ille per competentem iudicem sit de crimine hæresis damnatus. Quæ sententia non

ideo censetur esse necessaria, ut hæreticus damnetur per illam ad poenam privationis bonorum, sed ideo solum, ut aliis constet de crimine, & sic dignus appareat cui merito poena per legem statuta sit infligenda. Propter quod recte sensisse mihi videtur Dominicus de Sancto Geminiano, qui super prædictum cap. Cum secundum leges, in §. Confiscationis, dicit hæc verba: Nota quod super facto, in quo imponitur poena ipso jure, requiritur declaratio antequam executio fiat: quod tamen intellige, quando factum non est notorium. Hæc ille. Et hæc Dominici verba citat & laudat Felinus, in cap. Rodolphus, de Rescriptis, numero 37. Et in illo dicit, Cap. Cum secundum leges, non habere locum quando crimen est notorium, quia tunc dicit non esse opus declaratione. Et citat multos alios Doctores, qui eandem tenent sententiam. Et in hoc casu, quando scilicet crimen est notorium, admonet intelligendam esse glossam in cap. Commissa, in verbo Justo impedimento, de Election. lib. 6. dicentem, quod in casu Cap. Licet canon, eodem titulo, potest callator conferre beneficium ipso jure vacans, absque alia pronuntiatione super privatione incurfa. Quia illa poena privationis (ut ait) est notorie incurfa. Et in cap. Canonum statuta, de Constitution. numero 42. docet multo apertius eandem sententiam. In illis verbis, quæ nunc ex Dominico citavimus, duo potissimum sunt annotanda. Primo quidem annotare oportet, declarationem criminis esse necessariam, non autem condemnationem ad poenam, prout Cajetanum male dixisse jam supra retulimus. Alterum, quod valde annotare oportet, est, quod quando factum est notorium, non est necessaria talis judicis sententia. Per quæ verba satis aperte exprimitur ad hoc solum esse necessariam judicis sententiam, ut per illam de crimine constet, quod forte erat sine tali sententia aliis ignotum. Nam ob hanc causam censet Dominicus non esse necessariam talis judicis sententiam quando factum est notorium, quia tunc superflua est illa sententia, quæ jam sine illa constet, crimen esse perpetratum. Et hanc eandem sententiam, quamvis non ita aperte sicut Dominicus, docet Baldus in l. Jubemus, §. Sane, C. de Sacrosanct. Eccl. ubi hæc verba refert: Ubi non requiritur sententia dispositive, si tamen factum re-vocatur in dubium, requiritur sententia declaratoria, per l. Ejus qui delatorem, ff. de Jure fisci, & cap. Pro humani, de Homicidio, libro 6. Hæc Baldus. Ex cujus verbis à contrario sensu arguendo, constat illum sentire, quod quando nulla est de crimine dubitatio, sed est omnino notorium, tunc non est necessaria sententia declaratoria. Ita enim declarat mentem Baldi Felinus, in cap. Rodolphus, num. 37. de Rescriptis, in quo loco admonet lectorem, ut advertat litteram Felini esse mendosam in illa impressione, quæ facta est Lugduni, anno Domini 1535. Nam ubi dicit, sentiens, quod si res est in dubio, non sit opus declaratione, debet dicere, si res est indubia, hoc est, si ne dubio, & sine dubitatione. Et juxta hunc modum habentur verba ejusdem Felini, in antiqua impressione, quæ multo est verior. Ex his apertissime convincitur, nunquam sententiam judicis esse reo necessariam, ad hoc, ut ipse teneatur poenam à jure sibi impostam reddere, quia crimen, quod ipse reus commisit, semper est illi notorium. Et multo magis est illi notorium crimen factum sine ulla judicis sententia, quam potest esse aliis post datam à iudice sententiam, qua declarat crimen fuisse ab illo commissum. Nam ipse reus habet evidentem de suo crimine notitiam, alii autem qui non viderunt, non habent eam post judicis sententiam nisi fidem, quæ multo obscurior